

*enarravit. Joh. 3. v. 16. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, i. e. omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Et Primogenitus. Col. 1. v. 15. Qui est imago Dei inconspicui, Primogenitus universæ creaturæ. Ab æterno à Patre natus Psal. 2. v. 7. Filius meus es tu, ego hodie genuite. Ebr. 1. v. 6. quum inducit primogenitum in orbem terrarum, dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei. Ideo & proprium dicitur habere Patrem Johan. 5. v. 18. 19. Patrem suum idcirco dixisset Deum, æqualem se faciens Deo. Sic ergo proprius & Unigenitus Dei filius est verus naturâ Deus. Uti supra Disputat. 3. Aphorism. 10. prolixè demonstravimus. At verò Christus est proprius & Unigenitus Dei filius, id quod in aprico est. Ergo Christus est verus naturâ Deus. Quod ipsum porro constat ex proprietatibus & Epithetis divinis, ut sunt æternitas, immutabilitas, Omnipotentia, Omniscientia, Omnipræsentia. Quæ disertè attribuuntur Christo. Æternus est. Prov. 8. v. 23. Jehova possedit me in principio viarum suarum, inquit creatrix Sapientia. Joh. 1. v. 1. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum. Job. 17. v. 5.*

*Ex operibus verè divinis. Christus enim omnia operatur, sicut Deus Pater. Johan. 5. v. 19. Est creator mundi Johan. 1. v. 3. Omnia per ipsum facta sunt, & sine eo factum est nihil, quod factum est. Mundus per ipsum factus est. Creator cœli & terræ. Psal. 10. v. 26. Hebr. 1. v. 10. Omnium cœlestium & terrestrium. Coloss. 1. v. 16.*

*Ex cultu verè divino. Religiosè enim colendus, atque adorandus est. Psal. 72. v. 9. coram illo procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent. Psalm. 92. v. 7 Adorate eum omnes Angeli. Ebr. 1. v. 6. Philipp. 2. v. 10. In nomine Jesu omne genu se flectat cœlestium ac terrestrium, & inferorum. Rom. 14. v. 12. Vivo ego dicit Dominus: Mibi se flectet omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.*

*Denique demonstratur Deitas Christi ex negotio salutis, quod unicè habemus in Christo Jesu.*

*Act. 4. v. 12. Non est in alio quoquam salus: nec enim aliud nomen est sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos salvos fieri. Cap. 10. v. 43. Huic omnes Prophetæ testimonium ferunt, quod remissionem peccatorum accepturus sit per nomen ejus, quisquis crediderit in eum.*